...rtinus

...tanislai Ode gemina.

ad felix auspicium cursus philosophiae biennalis.

ODE GEMINA
Ad
Felix Auſpicium,
Curſus Philoſphici Biennalis.

Excellentiſsimo ac Doctiſsimo Viro,

D. MARTINO RADIMINSKI,
Regio in Academia Crac: Profeſſori.

A

STANISLAO DE WIELOMOWICE GAWINSKI,

Amoris & gratiæ ergo

DECANTATA.

CRACOVIÆ,
Typis Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typ. Anno 1650.

Ad debitum modum ſcientis, nouem requiruntur: ſcilicet, ſcire humiliter ſine inflatione, ſobriè ſine præſumptione, certitudinaliter ſine hæſitatione, veraciter ſine deceptione, ſalubriter cum charitate, & dilectione, vtiliter cum proximorum ædificatione, liberaliter cum gratuita commuicatione, efficaciter cum bona operatione. Diuus Thomas Aquinas, 1. Corinthiorum, Cap: 8. Lectione *Prima,* Circa medium.

ODE I.

SVrgamus Io, iam benè conſpici
Lux ſacra Claro dedita Caſtori
Refulſit, & Thomiſticanum
Igne ſuo recreauit æquor.
Quod illud æquor? quæ vada Balthidis,
Exuberantûm conſcia fluminum,
Quæ, per biennales recurſus
Non timido ſuperanda niſu
Reſtant, pateſcunt! Cerno ruentia
Hinc inde magnis flumina iurgijs,
Hinc Caurus, hinc nimboſus Auſter
Diſparibus fluitant procellis.
Surgamus Io. Tum ſociâ fide,
Diſtenta latis æquora carbaſis
Sulcemus: en puppis Patronus
Vela parat, variasque cæli
Inter micantum nubila ſiderum,
Qua ſit meandum conſpicit orbitas,
Nauimque de portu, ſecundis
Ominibus, vocat in profundum.

 Quis

Quis ille verò ſtat Palinurius
Nauis Patronus? Ten' video benè.
Cui lingua Suadæ, cui Mineruæ
Ingenium ſine nube fulget.
O RADIMINSKI, cui bona Palladis
Dicata lucent, plurima pectore,
Cui plena, ſublustri ſereno
Dulce micans, ſedet ore virtus.
Te noſco, frontem, noſco ego lumina:
Conſperſa doctis ora leporibus,
Noſco, redundantemq́ue pleno
Ore Sophum, grauiumq́ue, fœlix
Dictorum, acumen. Tunc bienni
Curſum Stagiræ, currere promptior
Ibis, Platonicasq́ue formas,
Non humili ſtimulatus æſtro
Dices Lycæis: Tun' Sophus abditam
Doctâ crepabis tuſſe ſcientiam,
Magnumq́ue naturæ ſcienti
Depoſitum, reſerabis ore!
O qualium Te dogmata mentium
Euoluenda ſpectant? quis genius manet?
Velut

Velut procellarum timendi;
Te quatient Rationis Auſtri.
Contra ſecundo, Tu tamen, impetu
Ibis per altum, dogmata diſſerens,
Subtile nomen nil timendo,
Arma tuis ſuperabis armis.
Languet moleſto ſi caret æmulo
Heroa virtus; quidquid atrocior
Procella, diſcordesq́ue mentes
Eruerint; generoſiore
Vinces repulſu. Te tuus interim
Regat Patronus, pectore cui nitens
Sol ſplendet, & cuius per altum
Auſpicio meliore curres.

ODE II.

DOtata cenſu diuitè pectora,
Narrabo vates, Diſcite Poſteri:
Olimq́ue diſcendum futuris,
Quæ referam, geminate ſeclîs.
Humana quidquid dextera contulit,
Humana rurſus ſubtrahit: en iacet

Spes tota, ſecluſus Parentum
Innumero Polydorus auro.
Sors fluctuanti ſtat ſuper orbita,
Vicesque rerum diſſociabiles
Diſpenſat; heu ſtultè metalla
Colligimus, rapimusque, ijſdem
Mox obruendi. Tantalus & Midas
Auro premuntur. Sola Scientia
Innixa virtutum lacertis
Enitet, & ſuperaſſe gaudet
Quidquid caduco condidit omine
Non ſola virtus. Pectora Ciuium.
Mens docta clarat, non Iberi
Gleba Soli, Tyriæque lanæ.
A corde quidquid, ſeu procul extimâ
A mente prudens ſepoſuit D E V S.
Nuſquam minor mentis, putabo
Eſſe meum, neque me librabo
Ab ore vulgi. Seu Lybicis mihi
Telluris imo prouenit vbere
Cenſus: Nabatheumque, gemmas
Flumineo ruat ore vaſtum

Seu

Seu ære plenus se mihi Nereus,
Opum recluso gurgite deferat,
Aurique tempestate diues,
Gemmifero fluat amne Ganges:
Seu tecta surgant, seu mihi Pergama
Extructa multis Pergama dexteris
Fumoque maiorum sacrata
Tecta nouis rutilent Colossis.
Externa sunt hæc, nec bona pauperes
Mentes honestant, cui caput intimo
Morbo laborat: possidenti
Multa comes tamen est egestas.
Ignara plebes, Attalicis licet
Hinc inde splendet, conditionibus;
Ignara plebes voce cunctâ
Iure pecus geminatur aureâ.
O qui secundis ominibus, sua,
Docto repleuit Numine, tempora
Phæboque, Phæbeisque donis,
Et genio, rutilam, decenti
Mentem poliuit, ditior omnibus.
Et ille cunctis Consul habebitur.

Totumque

Totumque despectando mundum
Sub pedibus premet omne pondus
Æris caduci. Me iuuat interim
Sacrasse docto pectora Numini.
Doctosque Stagiræ calores
Non humili vacuare mente
Mihi Platones, Democriti, mihi
Docte loquentis turba Panetij,
Totæque Doctorum phalanges
Agminibus rutilent decoris.
Vel quod tonabit dogma scientiæ
Docta eruditi mens RADIMINSCII
Me claret, atque eius bienne
Me recreet studium Mineruæ.
Illum beatum tunc ego dixero
Cui sacra Pallas plurima verticem
Inuadet, hic politiorum
Diues opum meruit sonari.